~~Rx mal d. 20. Iul. 44~~

Nobilissimo viro D. Constantino
Hugenio Eq. Zulichemi Dno &c
Caspar Barlaeus S. P. D.

Nobilissime Dne,

Gratissimum est officium, quod praestatur in tempore. Festivissimi Comicorum verba sunt: Nisi homini amico oportuno beneficio amicius. Mittis mihi vina, eo ipso tempore, quo de contrahendis nuptiis agit Filius advocatus. Is iam sponsus audit et pertaesus virginitatis, uxorius est, Deo, ut spero, probante. Virgini desponsatus est Amstelodamensi bene moratae et bene dotatae. Nomen illi est Susanna Pellegromiae. cognata est Graswinckelii Fiscalis. cuius socerum D. van Loo mercatorem hic celebrem avunculum habet. Perplacet amicis et inter hos N. D. Vicofortio haec συζυγία. Ad istas nuptias Te invito, licet tempore non oportuno. Castra sequeris Martis, dum nos eius pellicem. quanquam quae poetis pellex est, nobis sit castissima et ἄνευ δόλου. Explicarem facundiam omnem ut interesses celis epulis minorum gentium, sed affectatam benevolentiam diceres, quae intempestiva est. Nisi Cato esse vis et censor rigidus veniam fac Constantino Filio, ut pro patre sedeat inter Hoofdios, Vicofortios, Vossios, Graswinckelios aliaq. erudita nomina. advocabo ipse filium tuum ad festum advocati. tu Mitio gnato ne sis difficilis. Etiam his sacris initianda adolescentia, ne eruditione ad morositatem graves nesciant τὸ ὁμιλητικόν. Sed redeo ad vina, ne me putes ἀπροσδιόνυσα scribere. Verbum hoc verum est, sine Cerere et Baccho friget Venus. De Cerere cogitet sponsa. Tu, Vir optime, Bacchum mittis, quem in istas nuptias asservo. Est enim intactum adhuc vas tuum et illibatum. At quantus ego artifex cui exucca praefatiuncula meruisse videtur. Eadum ~~vini~~ succi Rhenensis. Fabulamentum est Pegasus, et Perseus et Hippocrene.
Hic succus ungula vatum est,
Hic Perseus, fontesq. bonae sacraria mentis

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod, Hug. 37 (Barlaeus) 158
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3583

Pegasus. hoc quoties quatiebatur masculo thyrso
Calliope senis et Troiam scribentis Homeri,
Acrius incaluit, geminosque accendit Atridas
In Priamum saevumque iris implevit Achillem.

Bibe de isto tuo succo, quamvis absens. Potuit magnus iste Apollonius Thyaneus inducere in convivium tripodas mobiles ex ligno factos, qui conviviis ministrabant. Ego qui vinosus sum, hoc est factor, arte catoptrica Te in convivium, velut Hicforden et Andam solent, per ianuae rimulam, sistam et bibentem et bibentibus respondentem exhibebo. Ita mihi ludus oris et conviviis admiratio. Sed desinam nugari, ne me non ab ungula Caballina solum, verum etiam à cornucopia Baccho ictum putes. Gratias habeo, munificentissime, maximas, ipso quod misisti dolio maiores, et quotquot capit illud, amphoris copiosiores, ipso, quod gustavi nondum, vino sapidiores, adfectui tuo congeneres, et indices non dilutae sed excoctae tot annis amicitiae. Epulati sumus apud Satrapam Batavorum clarissimum latus sinistrum Tesscla, dextrum latus vidua Roterodamensis Tesscla monilibus, ubertatibus, moribus, opibus et aliis pluribus bus dispar. Quae in nuptias Caspari lusi iam misit Nob. Vicofortius. Legati ad Daniae et Sueciae reges heri qui secundus erat Quinctil. die discessere. Faxit Deus pacis, ut lites componant inter Polidem Cimbrum et Gothicam Cristinam. Nuptiae filii celebrabuntur in aedibus meis XXIV Julii, nisi quid impediat. Vale Vir clarissime et amicissime. Momenta desultoria misit D. Bruno, avide exspectant munus tuum amici omnes, et per me N. Tuae gratias transcribi cupiunt gratiosissimas. Amstel. IV Jul. 1644.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod, Hug. 37 (Barlaeus) 158
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3583

A
Mijnheere Mijnheere Constantinus Huygens
Ridder Heere van Zuylichem, Sijn
Hoocheits Raedt ende Secretaris
Hooghe

Inde Hage
in 'sGraven

foue